



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Magdebvrgensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ciali gratia eam tibi duximus conferendam. Cùm igitur secundum utrumlibet modum eam te velimus habere, nos ipsam tibi auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis & confirmationis infringere vel ei ausu &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, anno decimo.

CAPITULO MAGDEBURGENSI.

Epist. 10.
Super eodem,
& pro eodem
G. scribitur ut
eum recipiant
& admittant.

Licet causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum vestrum & quosdam ex vobis vertitur super collatione quarundam præbendarum ab eodem Archiepiscopo facta &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus magistrum ipsum juxta Ecclesiæ vestræ consuetudinem recipientes in Canonicum & in fratrem, eundem fraternam caritate tracteris. Datum ut in alia.

ALBERTO MAGDEBURGENSI
Archiepiscopo.

Epist. 11.
Super eodem,
& pro eodem
G.

Licet causam quæ inter te ac quosdam Magdeburgenses Canonicos &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus eidem stallum in Choro & locum in Capitulo auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, studeas assignare. Datum ut in alia.

MERSEBURGENSI EPISCOPO
& Brandeburgensi & Havelsburgensi
Electis.

Epist. 12.
Super eodem.

Licet causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum & quosdam Canonicos Magdeburgenses vertitur &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratum magistrum possessione ipsius præbendæ facientes auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, gaudere, contradictiones per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

VLRICO CLERICO.

Cum à nobis petitur quod justum est & honestum &c. usque perducatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinatus, custodiam sancti Petri in Leodio, quam ex concessione venerabilis fratris nostri H. Leodiensis Episcopi te asseris assecutum, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Non. Martij, anno decimo.

Epist. 13.
Confirmatur
custodia S. Petri
in Leodio
sibi collata.

LVCÆ ABBATI ET CONVENTUI
Burgulienfi.

Ad evellendum & destruendum, adificandum pariter & plantandum, super gentes & regna disponente Domino constituti, iis tenemur robur apostolicum impertiri quæ inter viros religiosos, pro ressecanda dissolutionis materia & virtutibus coalendis, deliberatione provida statuuntur, ut in odorem unguentorum Domini pede currant adolescentulæ inoffenso, & liberius secus pedes Domini sedeant cum Maria. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinatus, ea quæ dilecti filij . . . de Savigneio & . . . de Claremonte Abbates Cisterciensis ordinis, & P. de Butera Canonicus Andegavensis, quibus correctionem monasterij vestri duximus committendam, pro informatione religionis & utilitate monasterij vestri vobis consentientibus providè statuerunt, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus, constitutiones ipsas, prout in eorum authentico continetur, ad evidentiam pleniorum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ inserentes. **STATVIMVS** pro bono pacis & amore religionis quod Abbas, qui plus debet prodesse quam præesse & discipulos suos magis exemplo quam verbo docere, semper pauset in dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minus, vel aliqua manifesta necessitas exegerit, vel magnum laborem sustinuerit. Nec Abbas nec aliquis monachus habeat coopertorium nisi de agniculis vel caris vel vulpibus, & cum panno nigro vel albo ordinato. Sæpius comedat in refectorio, & si in camera comederit, comedat

Epist. 14.
Datur certus
modus vivendi
& legendi
monasterium
ad relationem
nonnullorum,
quibus correctio
excitata
commissa.